

PRAEFATIO.

Plurimi jam anni sunt ex quo primum me ad hanc fabulam edendam accinxi, sed ab studiis Aeschyleis ad Sophoclis editionem curandam avocatus sum, postea autem Aristophanis editio suscepta multos per annos mentem meam occupabat. Nunc tandem ad opus interruptum libenter redeo, pluribus copiis instructus quam quae antea praesto mihi erant. His enim temporibus plurimae aut hujus fabulae aut totius Aeschyli editiones prodierunt, ex quibus pleraeque bene, nonnullae optime, de poeta merita sunt. Satis erit eas memorare quas curarunt G. Dindorf, Hartung, Klausen, Peile, Heusde, Karsten, Paley, Enger, Schneidewin, Davies, Hermann, Franz, Weil, Wecklein, Margoliouth, Verrall, Sidgwick. Praeterea critici non pauci, tum nostrates tum Batavi et praecipue Germani, textus emendationes fere innumeras proposuerunt, quae, quamvis maximam partem fuitiles et absurdae, aliquando admodum ingeniosae et felices sunt, qualis est palmaria illa Weyrauchii conjectura certissima v. 930. *ἔμπας τὰδ' οὐ πρόσσοιμ' ἂν ἐνθάσῃς ἐγώ* (pro *εἰ πάντα δ' ὡς* —), et altera Madvigii non minus certa v. 1229. *φαιδρὸν οὖς* pro *φαιδρόρους*. Aliae plurimae egregiae emendationes, quarum non paucae adhuc immerito neglectae erant, in suis locis memorabuntur.*) Denique iterum diligentius excussi sunt codices nostri manuscripti, praesertim omnium praestantissimus Mediceus (M.). His auxiliis munitus novam hujus fabulae celeberrimae, dilectae criticorum arenae, editionem parare constitui.

*) In Weckleinii editionis Supplemento copiosa conjecturarum tum veterum tum recentiorum farrago est magno labore collecta, valde Aeschyli editoribus ac lectoribus studiosis utilis futura.